



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 3. Aliæ caussæ, ob quas tutum non est, ad Superos iudices appellare;  
etsi id per se illicitum non sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

tem, nunquam absoluit reum præuenientem.  
§. III.

*Alia causa, ob quas tutum non est, ad Superos indices appellare; etsi id per se illicitum non sit.*

Tametsi ergo ea, de qua tot exempla enumerauimus, Sanctorum ad diuinum tribunal appellatio licita, diuinisque legibus contraria non fuerit: tametsi etiam constet, per eiusmodi exempla, diuinam mortalibus iustitiam innotuisse, Principesque multos didicisse, in subditorum sanguinem non esse defæuendum, neque proculcanda iura: tametsi etiam mentes recti conscientia atque innocentes roborentur, per talia exempla, ut diuinæ iustitiæ fiducia niti assuescant: tametsi etiam prohibita non sit eiusmodi prouocatio, quæ eodem animo, iisdemque de causis suscipitur, quibus rex Dauid, Pontifex Zacharias, beatæ illæ animæ; Paulus Apostolus, Episcopus Benno, alijque eam Sancti usurpauerunt: quis tamen sibi polliceri potest, non solum eandem, cum istis sanctitatem, verum etiam eandem rectitudinem intentionis? Quam citò se insinuat cupiditas ultionis? quam facile subrepat odium, aut immoderatus affectus,

*ad diuinum tribunal citandos esse.* 163

fectus, quo si prouocatio inquinetur, non aduersarium, sed ipsum damnat prouocantem.

§. IV.

*Quando sit peccatum mortale, alium è vitâ hac, ad caeleste tribunal citare; & cur etiam extra casus eiusmodi, sit abstinendum? quidq; earum loco usurpandum?*

Non loquor hîc de illis, qui sciunt, se alios iniuste, ad vallem Iosaphat, vocare, & tamen vel malitia agitati, vel, vt innocentes videantur, citant; quos constat, citando mortaliter delinquere; quia & Deum pro iniquitatis fautore, aut certè ludibriò habent, & proximo grauitè nocent, quem, tanquam innocentiae oppressorem, suggillant, ac iniecta vicinæ mortis imaginatione, terrent. Non loquor, inquam, de istis tam manifestè delinquentibus: de illis loquor, qui se ipsos innocentes, aduersarios iniuriosos, nec iam, in rebus minimis, aut puerilibus, sed in maximis inuitiosos arbitrantur. His ipsis, aio, admodum esse periculosum, si Sanctorum illas citationes velint imitari; cum ipsorum nec comperta sit sanctitas; nec certa innocentia; nec iudicium ab errandi periculo liberum; nec sine